

p̄sal. 89. quia scriptum est: *Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies unus, ut, quicquid per eosdem mille annos gereretur, novissimo tempore vel novissimo die diceretur geri.* Iterum enim dico, quod in hac causa saepe dicendum est:

355. Consideremus, ante quam multos annos dixerit beatus Joan.

1. Joh. 2,18. nes Euangelista: *Novissima hora est.* Nam si tunc esse inus, hoc auditio, quando crederemus tot annos postea transituros, ac non potius, ipso adhuc Joanne in corpore constituto, Dominum speraremus esse venturum? Neque enim dixit: *Novissimum tempus est, aut novissimus annus, aut mensis, aut dies: sed; novissima hora est.* Et ecce ista hora quam longa est! Nec tamen est ille mentitus: sed utique intelligendus est horam pro tempore posuisse. Quod nonnulli sic accipiunt, ut sex annorum millia constituant, velut unum diem, cumque in partes, velut horas duodecim, partiantur, ut sic quingentos annos postremos hora videatur habere postrema: In quibus annis iam Joannes, inquit, loquebatur, quando novissimam horam esse dicebat. Sed aliud est, nosse aliquid; aliud, suspicari. Cur enim non potius, si sex annorum millia deputandus est unus dies, non duodecima, sed vicesima quarta pars ejus una hora est; id est, non quingenti, sed CCL. anni? Totus enim dies, totus circumitus solis verius nuncupatur, non ab oriente usque in occidentem, sed ab oriente usque in orientem, unde, toto die peracto, id est, viginti & quatuor horis, rursus exoritur: ac per hoc hora ista novissima, ex quo tempore id locutus est Joannes, ante ferme septuaginta annos, ut minimum dicam, jam reperitur esse transacta, & nondum venit terminus seculi. Huc accedit, quia inspectâ diligenter historiâ ecclesiasticâ, reperitur Joannes A postolus longè antea fuisse defunctus, quam quinq; millia quingenti anni à generis humani exordio completerentur. Nondum erat itaq; hora novissima, si sex millium annorum pars duodecima, id est, quingenti anni, velut unius horae spatium deputatur. Pot-

* Al. ponamus rō si secundum Scripturas unum diem mille annos esse* donamus, mul-

mus to magis olim transiit tam longæ dici hora novissima: non dico; si vi-

cesima quarta pars ejus, qui sunt anni paulo amplius quadraginta; sed si duodecima deputetur, quæ illos annos duplos habet. Unde con-

venientius ille A postolus creditur horam posuisse pro tempore, quæ ho-

ra quam longa sit, ignoramus; quia non est nostrum, scire tempora, quæ Pater

17. posuit in sua potestate: quamvis eam novissimam esse noverimus, multo

magis utique nos, quam qui fuerunt ante nos, ex quo esse vel dici cœpit

hora novissima.

Quod autem ideo videtur Venerationi tuæ comprehendi non posse temporum mensuras, ut definiatur, quo anno futurus est finis;

Matth. 24, quia, secundum promissionem Domini, breviabuntur dies illi, prorsus

23.

non